



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

IV. De his, qui diuersis causis gentilitatis ritus aliquid peregerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

se Christianos esse, & eo vsque astricti sunt, vt manus eorum comprehendentes, violenter attraherent, & funestis sacrificiis admouerent, aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur; confitentes iugiter se Christianos esse, & luctum rei, quæ contigit, incessabiliter ostendentes omni deiectione & habitu & humilitate vitæ: hos velut extra delictum constitutos, a communionis gratia non vetamus. Si vero prohibiti sunt ab aliquibus, propter ampliorem cautelam, vel propter quorundam ignorantiam, statim recipiantur. Hoc autem similiter & de clericis, & de laicis ceteris obseruari conueniet. Perquisitum est autem & illud, si possunt etiam laici, qui in has necessitatis angustias inciderunt, ad clericatus ordinem promoueri: placuit ergo, & hos, tamquam qui nihil peccauerunt, si & præcedens eorum vita probabilis sit, ad hoc officium prouehi.

I V.

De his qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnauerunt in idolio, quicumque eorum, cum ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & vestimentis preciosioribus vsi sunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt: placuit, eos inter audientes vno anno constitui, succumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam peruenire.

Quotquot autem ascenderunt templa veste lugubri, & recumbentes per omne tempus fleuere discubitus, si compleuerunt pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur. Si autem non

ANNO
CHRISTI
314.

manducauerunt, biennio subiecti pœnitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, vt perfectionem quadriennio consequantur. Penes autem Episcopos erit potestas, modum conuersationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita, & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

V.

De his qui minis tantum cessere pœnarum, aut priuatione facultatum territi, aut demigratione, sacrificauerunt, & hæctenus pœnitudinis negligentes, neque conuersi, nunc huius Concilii tempore semet obtulerunt, conuersionis suæ consilia capientes: placuit vsque ad magnum diem eos inter audientes suscipi, & post magnum diem triennio pœnitentiam agere, & postmodum duobus diebus sine oblatione communicare, & tunc demum sex annis completis, ad perfectionis gratiam peruenire. Si vero quidam ante hanc Synodum suscepti sunt ad pœnitentiam, ex illo tempore initium eis sexennii computetur. Si quod autem periculum, vel mortis expectatio, aut ex infirmitate, aut ex aliqua occasione contigerit, his, sub definitione statuta, communio non negetur.

VI.

De his qui festis diebus gentilium, in remotis eorum locis conuiuia celebrarunt, cibosque proprios deferentes, ibidem comederunt: placuit, post pœnitentiam biennii eos suscipi: vtrum vero cum oblatione, singuli Episcoporum, probantes

G iij